

P R A E F A T I O.

Cum, vendita, quae nuper in lucem prodierat,
Pharmacopoea Austriaca, nova exigeretur ejus-
dem libri editio; occasione inde oblatae deesse
non potuimus, quo minus tum in medicamen-
torum et compositorum formulis, aut verius
quaedam. aut accuratius determinaremus, nec
non, quae medicis practicis desiderata sunt, ad-
deremus nonnulla.

Iisdem caeteroquin, ac in procuranda editione priori, rationibus ducti, pharmaca exotica plura, quorum alia in adsuetudinem potius mediorum, quam in artis necessitatem servientia ex officinis facile exulare, alia autem rariorem in usum vocari, ac ob pretium, quo constant carum, vernaculis et levi sumtu parabilibus persaepe suppleri possunt, exterminavimus. Plura e contrario pharmaca, ex indigenis praecipue, virium vel jam dudum comprobatarum, nimia tamen peregrinorum praedilectione iterum oblivioni tradita, vel et recentioribus observatis efficacia visa, adparatui nostro adjuncta reperientur,

Medicaminum vero compositorum, quo-
rum aut compositio artis regulis minus respon-
det, aut quae, cum rariorem nunc in usum
veniunt, diutius in officinis adservata, corrup-

tioni saepe subjiciuntur, formulae complures medicis ex tempore praescribendae relictæ sunt; aliae autem et chemicorum et medicorum placitis magis adcommodatae.

At vero ne quis medicorum credat, nostris sese hisce sententiis obstringi; cuique et in posterum licebit, pharmaca prioris dispensatorii, sive simplicia sive composita, in quae singularem habet fiduciam, ad mentem quoque veteris codicis a pharmacopolis expetere.

Liquidorum praeparatorum, ut certior habeatur norma, majorque eorum in singulis officinis conformitas obtineatur, densitatus nominales ubique expressae sunt. Ad hancce jam normam adstringuntur pharmacopoei, eo magis, quod liquidorum gravitates specificæ per araeometra Meissneriana, caeteris exactiora, atque

— XIV —

in ipsa metropoli parata obvia, facile determinari queant.

Vindobonae die 16. Novembris 1813.

Andreas Joseph L. B. de Stifft,
Protomedicus et Praeses facultatis medicae.

Joannes Franc Hieber,
p. t Decanus facultatis medicae.

Valent Nob. ab Hildenbrand,
Professor praxeos medicae.

Jos. Franc. L. B. de Jacquin,
Professor chemiae et botanice.

Joan. Andr. Eques de Scherer,
Professor historiae naturalis.

Philippus Carolus Hartmann,
Professor pathologiae et pharmacologiae.

Sosephus Scharinger,
gremii pharmaceutici Vindob. p. t. antistes.

Josephus Wödl,
gremii pharmaceutici Viadob. p. t. antistes.